

ANN. XVIII - FASC. XI

MENSE NOVEMBRI MCMXXXI

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Nuperrime prodiit

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteras nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mile-siae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus-Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXX, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 400 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 800, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XVIII

Romae, Mense Novembri MCMXXXI

Fasc. XI

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXX est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante sol-vendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Roman, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

ARCHAEOLOGICAE NOTAE

De conviviis funebris.

Notum vulgo est, quippe iam ab anno 1863 in *Bullettino di archeologia cristiana* relatum, testamentum quoddam in bibliotheca Basileensi inventum, quod maximo fuit auxilio ad historicam sepulcrorum descriptionem instituendam. Ex eo intelligitur, quod innumerabilia paene epitaphia confirmant, partem sepulcri *cellam memoriae* esse, quae vocabatur etiam *cubiculum*. Huiusmodi usui et *solarium*, idest pavimentum sepulcro superpositum, plus minusve coopertum, aut etiam subdio, destinatum erat, interdum cubiculi vel cellae locum tenens, quocum saepius, veluti appendix aut complementum iungebatur.

Iuxta epigraphiae Romanae indolem, in venusto quodam titulo haec legitur invitatio: « Amici et parentes habeatis deos propitos, salvi hue ad alogiam veniatis hilares cum omnibus ». ¹ *Alogia* convivium significabat.

In inscriptione collegii Hygeae et Aesculapii haec habentur: « Locum aediculae

cum pergula et solarium tectum iunctum in quo populus collegii epuletur ». ¹ Idem in epigraphis funerariis invenitur, ubi *pergulae, tricliae, trichilae* cum fere semper adiecto puteo nominantur. Ubi vero pergula laqueari vel fornice cooperta erat et veluti porticula facta, *vitis*, aut aliis eiusmodi fruticis, palmitibus pictis ornabatur, unde pergula in triclinium prorsus vertebatur. Neque praetermittimus ethniam quandam inscriptionem anni 299 post Chr. n., Latafi in Mauritania inventam, qua fundatio mensae ad sepulcrum Aelia Secundinae cuiusdam commemoratur; itemque inscriptionem cuiusdam Caii Edulei Ianuarii, qui « aram sodalibus suis Serrensisibus donum posuit, et locum scholae ipse acquisivit ». Ubi inscriptio reperta fuit, ibi antiqui triclinii ruinae erant perspicuae, et ut C. L. Visconti affirmavit, circumpositae sedes pro quinquaginta circiter hominibus apparebant.

Praefati testamenti formula mentionem et de exedra facit: exedra eius generis erat aedificium, quod, abside una vel pluribus constans, in fronte prorsus apertum esset. Atqui exedrae non defuerunt supra Romana coemeteria, et in coemeterio S. Calisti duas adhuc exstant basilicae, quae ori-

¹ Cfr. D. Rossi, *Roma sott.*, t. III, p. 475.

¹ FABRETTI, *Inscript. antiqu.*, p. 724, n. 443.

gine nihil aliud quam exedrae trichorae, id est tribus absidibus instructae fuere. Quin, et in vestibulo coemeterii F. Domitiae, praeter circumstantia sedilia et pultum, etiam pampinorum depictorum vestigia adhuc cernere licet, neque alia sicut exedrae Christianae decoratio, immo et Christiani sepulcri; cuius rei, post pacem Ecclesiae donatam, perduravit traditio, quum fornices sepulcrorum Christianorum fuere arborum comis vitiumque pampinis adumbratae».¹

Architecturae haec analogiae rituum etiam et morum analogiam supponunt; ita tamen ut quidquid Christiani de idololatricis ritibus servaverint, id ad celsiorem significationem conceptusque mere Christians verterint.

Atqui duae erant caeremoniae, quibus «spiritus quiescentis colebatur ad eius memoriam»: sacrificium et convivium, seu *epulae*. Sacrificia ex profusione vini et lactis constabant; epulae vero, aliae omnibus sepulcris communes, aliae singulis peculiares erant, earumque tempus a die decima tertia ad vigesimam secundam mens. Februarii decurrebat. Ultimus hic dies, quippe intimis conviviis magis destinatus inter defuncti propinquos, *caristia* vel *cara cognatio* vocabatur, ad eamque omnes pacifice convenire tenebantur, omni discordiarum litiumque causa seposita; quod aliquando vel in epitaphiis indicabatur: «Hilares venite, sine querela, sine bile».

Mense autem Martio caeremoniae occurrabant, *violaria* quidem vocata (*dies violationis*, *violae*); mense Maio *rosalia* locum habebant (*dies rosationis*, *rosaria*); mense Iulio denique, quum sacrificia conviviaque renovarentur, rosarum violarumque coronae necnon cibi (*escae*) offerabantur; qui, prout in *rosaliis* aut tempore vinclimiae praebebantur, *rosales* aut *vin-*

demiales sunt nuncupatae. Hinc formulae: «Coronare, Coronam inferre, Colere sepulturam rosis et escis, Rosales et vinclimiae escas ponere, Praebere rosas», veluti testamenti leges a defunctis relictae, neque raro in ipsis epitaphiis et cippis conscriptae: «Rogo... ut mihi ponatur omnis flos suo tempore».

* * *

Monumenta de usu agapes testantia perplura reperiuntur, cui generi fortasse tribuenda quoque sunt sedilia ad cubiculorum parietes in catacumbis disposita. Vasa etiam, quae in catacumbis inveniuntur et amphorae, praeterquam ad oleum lampadibus nutriendis ministrandum, ad aquam et vinum conviviis suppeditandum destinata erant. Ceterum naturae consenteum affirmandum est Christians primaevos, sub specie communis et generalis ritus celebrandi, ad sepultra martyrum et eorum qui sibi dilecti fuissent convenire solere, ubi vero et Missae sacrificium celebrarent, et oblationes colligerent fratribus egenis subveniendis pascendisque. «Haec — ait Tertullianus — quasi deposita pietatis sunt; nam inde non epulis, non potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis humanisque, et pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, iamque domesticis senibus, item naufragis, et si quis metallis, et si quis in insulis vel in custodiis dumtaxat ex causa Dei sectae, alumni confessionis suae fiunt».²

Agens S. Augustinus in Manichaeos et praesertim in Faustum, eorumque adversus Christians accusationes retundens, haec de agapis habet (de agapis nempe funerariis, utpote quae solae tunc temporis in usu permanerent): «Nec sacrificia eorum (Gentilium) vertimus in agapes... Agapes enim nostrae pauperes pascent

¹ S. HIERONYMUS, *Epist. 60.*

¹ TERTULL., *Apolog.*, c. 39.

sive frugibus, sive carnibus; pascitur enim creatura Dei de creatura Dei, quae humanis dapibus congrua est... Quoniam plerumque in agapibus etiam carnes pauperibus erogantur, misericordiam Christianorum similem dicitis sacrificiis pagorum, quorum nonnullis in hoc quoque similes estis».³

Iuvat praeterea nonnullos S. Hippolyti canones referre, qui maiorem rei lucem addunt:

«Can. 160. — Si distribuatur oblatio, distribuatur etiam eleemosyna pauperibus; haec autem disperbiatur pauperibus ante occasum solis a populo.

«Can. 164. — Si agape fit, vel coena ab aliquo pauperibus paratur κυριακῇ tempore accensus lucernae praesente Episcopo, surgat diaconus ad accendendum.

.. «Can. 169. — Si fit ἀράψησις pro iis qui defuncti sunt, primum antequam considerant mysteria sumant, neque tamen die prima.

«Can. 170. — Post oblationes distribuatur eis panis ἔξορκισμῷ antequam considerant.

«Can. 171. — Catechumenis autem curante Episcopo mittatur panis oratione purgatus ut ecclesiae associentur.

.. «Can. 172. — Non sedeat cum eis aliquis catechumenus in agapis κυριακαῖς.

«Can. 173. — Edant bibantque ad satietatem, neque vero ad ebrietatem, sed in divina praesentia cum laude Dei».⁴

Ex quibus omnibus eruitur, agapan vespertinam fuisse, utpote tempore accensus lucernae celebratam, quando apud Romanos coenabatur; quod si viduae invitatae essent, ante vesperam dimitti debuisserent. Ita enim Can. 183: «Si quis viduis

¹ S. AUGUSTIN., *Contra Faustum*, lib. XX, c. 20.

² Licet isti canones falso, ut videtur, S. Hippolyto sint attributi, tamen eruditio quique in hoc convenienter, ut eos tertio secundove saeculo ascribant. (Cfr. DUCHESNE, *Origines du culte chrétien*, ed. III, pag. 525 et seq.).

coenam parare velit, current ut habeant coenam et ut dimittantur antequam sol occidat».

Porro in «instrumento tricliniorum» non tantum ad Christiana, verum etiam ad ethnica collegia pertinentium «candelabra et lucernae bilychnes» recensentur.

Praeterea in quibusdam distributionibus, quemadmodum et in *Constitutionibus apostolicis* dicitur, partes praescribuntur Episcopo absenti facienda; item duplex panis vinique distributio presbyteris et diaconis, necnon pauperibus viduis iuxta diaconi iudicium.⁵

Hic distributionum modus, ut animadvertisit I. B. De Rossi, circa alimenta pro cleri honorato victu, divisioni «sportularum» in municipalibus et collegialibus ethnicorum conviviis assimilari poterat; in iis enim quantitas cuicunque competens designabatur secundum eius in municipium vel collegio gradum. Nam praeter *caristiam* et *parentalia*, convivium scilicet prorsus familiare et *carae cognationis*, ethnici in communis quoque frequenter discubebant, et inter se, gradibus diversis servatis, sportulas dividebant; idque neandum in festis dedicationum statuarum municipalibus, ac nataliciorum occasione benefactorum, etiam et saepius in collegiis funerariis, quorum numerus, quem alias maxime Christians coemeteria dilatabantur, multis sub formis multiplicatus est.

Haec omnia S. Cyprianus confirmat, qui *sportulantes* ac *sportulis honoratos* presbyteros a fidelibus sustentatos appellavit.

Praeterea, ut patet ex Tertulliani verbis superius allatis, non solum pauperibus, sed etiam in metallis et in insulis custodia detentis propter Christum providebatur. Veri itaque simillimum hanc Christianorum sportulam ultimae S. Perpetuae consociorumque martyrum coenae in carcere cibos

¹ *Const. apost.*, II, 28.

suppeditasse. Mos enim erat apud Romanos ut pridie ludorum gladiatoribus ac bestiariis commissatio concederetur (graece *orgia*) quam *coenam liberam* vocabant, cui et populus adesse poterat. Hac vero coena etiam damnatis gaudere licebat, ut ex ipsis patet SS. Perpetuae et Felicitatis actis: «Pridie quoque cum illa coena ultima, quam liberam vocant, quantum in ipsis erat, non coenam liberam, sed agapen coenarent». ¹

(*Sequitur*).

S. S.

ooooooooooooooooooooooo

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA ²

De pronominibus eleganter addendis.

Duae sunt pronominum conversiones. Etenim pronomina:

1º aut genus, numerum vel casum mutant;

2º aut in alterum pronomen vel aliud vocabulum migrant.

§ I. - De pronominum genere, numero, vel casu mutandis. ³

I. - Pronomina interdum non iuxta grammaticam, sed iuxta sensum concordant. Tunc logica, non grammatica dicitur eorum constructio. Sic:

1º Quum vocabula usurpantur, quae designant personas, pronomen relativum sat recte assumit genus personarum; ⁴ v. g.:

¹ *Passio S. Perpetuae*, n. 17.

² Cfr. fasc. sup.

³ Monita I et V non sunt commendanda alumnis purissimae latinitatis studiosissimis. Nam sunt quidem notiones utiles ad legendos auctores, non autem sunt exempla discipulis proponenda ad imitandum, nisi rassisime.

⁴ Cfr. ALMA ROMA, anni 1930, p. 148.

Ubi illic est *scelus* (= sceleratus), *qui* me perdidit? (Ter.).

Quod nunquam huiusmodi *monstrum* aut prodigium audivimus aut vidimus, *qui* cum reo transigat (Cic., *Verr.*, II, 32).

Nostrum consilium, *qui* noluerim (Cic., *Ep.*, I, 9, 13).

Veiens (= Veiorum) bellum, *quibus...* (Liv., II, 53, 1).

2º Quum vocabula usurpantur, quae habent sensum collectivum aut continent speciem pluralitatis, ¹ pronomen relativum saepe plurali effertur; v. g.:

Caesar *equitatum* omnem praemittit, *qui* videant (Caes.).

L. Cantilius, *scriba* pontificis, *quos* nunc minores pontifices appellant. (Liv.).

Vestrā, qui cum summa integritate vivistis, hoc interest (Cic.).

Servili (= servorum) tumultu, *quos...* (Caes.).

II. - Genitivus partitivi ac numeralis saepe casum assumit huius partitivi, aut numeralis. ² Sic construuntur etiam pronomina; v. g.:

Amici, *quos multos* habeo.
Quos video esse *nullulos* (Cic.).

III. - Demonstrativa «is, hic..., etc.», itemque relativum copulativum quandoque genitivum supplent nominis substantivi cui cohaerent; v. g.:

Fama *ea* (= eius rei) urbem pervasit (Liv.).

¹ Saepe propter synecdochen quae sumit unum pro pluribus; v. g.: *Scriba, quos* minores pontifices appellant (cfr. IV). Nam, in hoc exemplo, relativum cum consequenti substantivo consentire dici potest.

² a) Hoc fit quum reapse non est partitio; v. g.: *Complures milites nostri* (CAES., *De bel. gal.*, I, 52, 5). — *Plurimi nostri* exemplis usus es (Cic., *De divin.*, II, 3, 8). — *Tres suos nactus manipulares* (CAES., *De bel. gal.*, VII, 47, 7).

b) Tunc pronomen personale in possessivum migrat; v. g.: *Hominibus opus est eruditis, qui* adhuc in hoc quidem genere *nostri* (= ex nobis) *nulli* fuerunt (Cic., *De or.*, III, 24, 95).

Harc (= harum rerum) pulchritudo (Cic., *Tusc.*, I, 19, 45).

Adscribe me *talem* (= talium hominum) in numerum (Cic., *Phil.*, II, 13, 33).

Quo (= quorum hominum) in numero fuisses (Cic., *Ep.*, VII, 6, 2).

IV. - Pronomen saepe consentit cum consequenti substantivo, quod «praedictum» dicimus...; ¹ v. g.:

Haec (= hoc) est *vita* (Cic., *De Republ.*, VI, 15, 15).

Ea (= id) *quae* (= quod) *gemma* dicitur (Cic., *De Senect.*, 15, 53).

Idem velle et idem nolle, *ea* (= id) deum firma amicitia est (Sall., *Cat.*, 20).

Si omnia facienda sint quae amici velint.

¹ a) Tunc pronomen in alterum pronomen quandoque mutatur; v. g.: Qui virtutem praemio metiuntur, *nullam* (= nihil) virtutem nisi malitiam putant (Cic., *Leg.*, I, 18, 49).

b) Si inter duo substantiva ponatur relativum, cum alterutro consentire poterit, etiamsi alterutrum proprium sit. Libentius tamen cum consequenti substantivo seu praedicato concordat, quem notioni quam prius substantivum satis iam declarat ac definit, specialis observatio adiungitur ope propositionis relativae; v. g.: Thebae, *quod* Beotiae *caput* est (Liv., 42, 44). — Pompeio, *quod* imperii Romani, *tamen* fuit, extincto (Cic., *Phil.*, V, 14). — Iustam gloriam, *qui* est *fructus* vere virtutis honestissimus, repudiare (Cic., *In Pis.*, 24).

Convenit cum antecedente substantivo, si in praedicato magis vocabulum spectatur quam sensus; v. g.: Scipio Nasica, *qui* est Corculum appellatus (Cic., *Brut.*, 20). — Darius ad *eum* locum, *quem* Amanicas pylas vocant, pervenit (Q. CUR., III, 8). — Unus erat toto naturae vultus in orbe, *quem* dixere chaos (Ov., *Met.*, I).

c) In correlativis, relativa cum consequenti substantivo cohaerent, quandcumque ponuntur inter respondens sibi demonstrativum et inter substantivum, quod cum priore substantivo comparant; v. g.: Dixi de te tanta contentione *quantum* forum est (Cic., *Ad Fam.*, XII, 7). — Utinam in eis talis mens ad rem publicam bene gerendam fuisse, *quale* ingenium ad bene dicendum fuit! (Cic., *Brut.*, 27).

NB. - Propterea dicitur; v. g.: *Qui* tuus est amor erga me. — *Quae* tua humanitas, etc.

non *amicitiae tales* (= talia), sed coniurationes putandae sint (Cic., *Offic.*, III, 10, 44).

Quae (= quod) forsitan laus sit (Cic.).

Quae (= quod) apud a'ios *iracundia* dicitur, ea in imperio superbia appellatur (Sall.).

V. - Relativum quandoque etiam casu concordat cum antecedente. Quam attractionem «casualem» appellant, v. g.:

Nos hoc confirmamus illo augurio quo (= quod) diximus (Cic., *Att.*, X, 8, 7).

Marius infecto *quo* intenderat negotio rediit (Sall., *Iug.*, 104, 1).

VI. - Relativum «qui, quae, quod», antecedenti potest praeponi. Tunc inter se venuste cohaerent genere, numero et casu; ¹ v. g.:

Quas scripsisti *litteras*, mihi fuerunt iucundissimae.

Quos cum Mario *pueros* miseram, epistolam mihi attulerunt (Cic., *Att.*, IX, 14).

Quae prima innocentis mihi *defensio* est oblata, suscepit (Cic.).

Quibus de *rebus* ad me scripsisti, coram videbimus (Cic.).

S. Leonardi in Helvetia.

(ad proximum numerum).

J. Iss.

JOSEPH SANCHEZ DEL RIO

(1914-1928)

Quum tempestas in mexicanam catholicam Ecclesiam conflata, quae hactenus compressa latuerat, in superiores annos erupit, et effrenata pravorum hominum

¹ Saepe alterum relativum subicitur ex pronomibus «hic, iste, ille, etc.»; v. g.: *Quam* quisque norit artem, in *hac* se exerceat (Cic.).

cupido et audacia omnia caedibus et luctu opplevit; optimi filii, nobilissimi iuvenes animose in campum prodiere, ut Matris conculcatam libertatem et pacem in pristinum splendorem redigere niterentur.

Divina autem Sapientia, quae mire illos movit, puerulos etiam quosdam concitatavit, vitae contemptores, eademque virtute praeditos, qui Ecclesiae libertatem amissam restituerent, utque sibi martyrii coronam obtinere pares existerent. Uti olim pueruli illi, qui, agmine facto, ad terram Redemptoris nostri divino cruento tinctam convolarunt, ut eam ab infesta Saracenorum plaga purgarent atque defenserent; ita mexicana Ecclesia, impie vexata, caede exitioque direpta, puerulos etiam habuit defensores, qui eam et se metipsos lauro gloriosae mortis illustrarunt.

Hos viriles et christianos in eximio pueru animos admirari atque posteritati prodere nunc libet.

Puer quippe erat aetate, vir autem fortitudine et constantia, pietate ac religione insignis, Joseph Sanchez del Rio, quem armatus armatis Christi Regis legionibus addicere sese statuit. Hoc quum saepissime aestuoso volveret corde, viamque tentaret quo facilius propositam sibi mettam pertingere valeret, litteras frequentissimas ad christiani agminis ducem (illius nempe regionis) mittit; quibus vehementer exorat ut in castris se recipere ne cunctetur. Ac veritus ne per aetatem (nondum enim tertium supra decimum annum compleverat), ab armis prohibetur: «Adolescens, — inquit, — sum, et si minus ad arma torquenda videbor idoneus, militibus saltem servili officio favendis adero; phaseolos, — subiungit, — hac ratione condire didici». Quibus dux captus, vehementerque commotus, libentissime illum apud se recepturum promisit.

Pridie igitur kalendas Iulias, albente iam caelo, clam matrem sibi carissimam,

fratres, familiam, domum suam deserit, viamque saxis multis locis praeruptam, angustis vallis transcendendis difficultiam, quae ad Liberorum manum ducebatur, laeto animo suscepit. Bonam iam itineris partem confecerat, quum interdum cognita domi fuga, celeriter domesticos quosdam dimittunt, qui deserentem ad suos reducant. Erat in celeritate posita res; ideo domestici brevissime iter agunt, et repugnantem ac flentem puerum tandem parentibus suis reddunt.

Illi mater, optima ac religiosissima femina, ipsum consolari ac pacare est aggressa; puerilem aetatem, suam militiae ineptiam, belli labores ingentes, suis humeris maiores, ipsi obiicit. Cui puer: «Etiam minus ad bellum conserendum ac laborem sufferendum par videor, quid, inquam, tandem impedior, quominus tantae causae, militibus cibaria comparando, vulneratis medendo, ocrea etiam terendo, laborum particeps efficiar?» Quumque nulla ratione vinceretur, mater demum eo recurrit: «Anne, — inquit, — ignoras, tyranni undique appositos esse canes, qui christianam aciem quosque petentes intercipiant, eosque crudelissima nece macerent?»

«Nihil, — ipse respondit, — mihi est potius, quam pro Deo, Rege nostro, meum sanguinem effundere».

Itaque, quum nihil hac via mater proficeret: «Aquieres modo paulisper, — ait; — egomet tibi arma, equum, pecuniam certaque ad bellum necessaria subministrabo; quumque vicinorem Liberorum exercitum sentiam, ipsis te, nate, committam».

Quibus verbis conquiescere tandem visus est, et collegii aulas, in quibus ad pueriles artes ac disciplinas instituebatur, frequentare perrexit.

Attamen ingens illa pro Christo Rege eiusque Ecclesia bellandi cupido, qua misericordia flagrabat, nullas patitur moras; de-

cimo sexto, igitur, kal. Augusti, ante lucem, occulte domum denuo relinquit, ac celeritate summa iter ad castra repetit; adeo ut reportari iam nullo modo possit. Ad ea, ergo, altera luce pervenit, et in eis ab exercitus gubernatore exultans gaudio est receptus.

Iosephus vero, ne sui exspectatione et cura parentes cruciarentur, litteras pulcherrimas ad eos mittit, puerumque dimittit illas portantem, qui eis renuntiet, nullo se negotio ad castra pervenisse, maxima benevolentia ducem se ad latus retinere, et christianae legionis signum ab illo sibi quocumque portandum esse commisum. Veniam deinde facti expostulat; benedictionem demum paternam roget.

Sic tunc divisa respublica a christianis copiis erat, quo melius tutiusque bellum administrari posset: summum totius exercitus imperium nobilissimo iuveni, militiae peritissimo Goroztieta commissum fuerat. Hic regionem illam *Los Altos* dictam sub potestate retinebat; nec expugnari ullo modo poterat. Celeberrimo illius regionis monte *El Cerro Gordo* pro statione et refugio ipse cum delecta manu utebatur; quo cedere aliquantulum otioque consulere fas erat.

Aloisius vero Navarro expedita manu Colimam occuparat; totam regionem peragrabat, saepissime victor; et hostes, occasione suscepta, comprimebat. Ei refugio iuga montis *Cerro Grande* erat; ibique vires reficere et confirmare licebat.

A Prudentio tandem Mendoza, saltus illi ab lacus de Chapala littore, ad Michoacanorum montium iuga devexi, meridiem versus, praesidiis tenebantur; quae ditio cum ad debellandos delendosque hostes, tum ad se ipsos arboribus, rupibus, ceterisque impedimentis tegendos, a prime natura comparata videbatur; quod et hostium conatus, si audacie propius accederent, retardabat, et equitatum arcebat.

Huc se recipit puer, qui quocumque exercitus tendit, subsequitur; immo, quemcumque casum aequo ac virili animo sustinet. Hinc etiam frequentissimas ad familiares litteras perscribit, maxime ad matrem: illi et se antesignanum Christi Regis, et bellissime in castris vitam degere nuntiat.

Hic etiam fortitudinis (quae maxima in illo semper fuit) et pietatis mira exempla edidit; quo fiebat ut commilitones non modo summe eum diligenter, sed pene ab eis coli videretur. Pietas haec, quae singularis in eo resplenduit, et amor erga Ssni Corpus Domini in Eucharistia velatum, Tarsicci cognomen ei peperit; quo nomine a sociis designari solitus erat. In proeliis autem conserendis primus erat; et ipse veluti divina virtute et armis divinis conspicuus, digna prorsus spectacula edebat, et milites ad gloriosum certamen concitabat; itaque, factum haud semel est, ut parvi numero bellatores magnas copias prostrarunt.

Hac ratione septem menses vitam transgit et exemplar omnis probitatis se exhibuit. Nonis vero Februariis proelium atrox conseritur prope pagum Cotija appellatum. Fortuna tamen cito favere hostibus visa est; qui ordines disiicere et opprimere christianos Liberatores valuerunt; magna vi tamen interdum a quibusdam obsistitur; dux ipse, amissio in pugna equo, non desistit, etsi ad mortem incedit; quam rem quum animadvertisset puer noster, ab equo ex quo pugnabat desilit, ducem adit, eoque militari more salutato: «Accipe, — inquit, — equum meum, et citissime salutem fuga quaere; non enim meae, sed tuae vitae consulere nunc est opus: nemo meis consiliis, tuis universus eget exercitus; ipso utere, neve quid mihi fiat cures». Dux ergo, etsi aegre, equum concendit, et hostem necemque vitavit.

Puer vero, pari animo stragem ac vastitatem contemplatur; reliquias dolet

exercitus ab inimicis dissipatas, et fugatas; rupem deinde sublimiorem petit, ex qua hostes aggreditur, et ignitis glandibus appetit. Hausta demum globulorum copia, manu arma accepit, et: « I, — inquit, — et tu, si forte daemonii (hostis) caput conteras », et sclopetum, in eos iecit. Tum implicatis pectore brachiis, hostem expectat serenus; cito milite undique cingitur, et vincus coram imperatore deducitur. Cui ille, quum in conspectu eius stetisset: « En me, — inquit, — captum; arma globulique defecerunt, non animus ». Militibus statim dux imperat, ut illum ferro confodiant; at inflectus paulisper barbarus miles, et insolitam admiratus in imbecilla aetate fortitudinem et constantiam, ferrum a tantillo corpore prohibet; immo vitam, libertatem, honores apud se maximos et praemia pollicetur, si Christum eiusque aciem deserat et suam sequatur. Indigne promissa nobilissimus et incorruptus Christi miles auscultavit, ea que fortiter respuit: « Maximo, — ait, — in vos odio afficiar, impiam et crudelem carteram Christo inimicam; malo mori quam turpiter vivere ».

Dux ergo illum iubet a militibus custodi et confecto proelio, Cotijam asportat, ubi legiones tyranni, polluto Domini templo, pro statione abutebantur; ibique custoditum servant. Hic ferunt nutantem comilitonem, qui simul comprehensus fuerat, confirmasse; atque ad palmam gloriosae pro fide mortis consecrandam servidis verbis concitasse. Ipsum submonet ut bono sit animo caelumque suspiciat, atque Iesum et Mariam invocare ne cesset; quibus verbis ita strenuum illum reddit et alacrem, ut nudatum collum satellibus laqueo inserrendum ultro obtulerit. Ipse vero, sequi socium avidus, necem depositit.

A Cotija in Sahuayo nostrum reportant, ibique in carcerem impingunt. Adebat tunc ibi magistratus quidam, Picazo nomine, homo ferox et dissolutus, omni-

bus ob suam perfidiam et in catholicos crudelitatem et odium notus, puero notisimus. Hic iudex assidet, et puerum ad se deferri iubet. Quem praeter exspectationem, firmum integrumque quum offendisset, sic compellat: « Quid, Ioseph, egisti? » « Pro Christo, — ait ille, — ut virum decebat, pugnavi ». Omnes deinde pugnae casus adstantibus narrat. Quum finem loquendi facit, ex circumstantibus unus animumne paratum ad quemque eventum habeat, percontatur. « Omnia, — inquit puer, — mecum cogitavi, quidquid capiti meo impendebit, fortiter sustinebo ». Tum in magistratum intuens: « Me, — ait, — ferro trade, ut quum in caelo suscipiar, id a Deo obtineam, ut te deiectum et confusum videam ». Quo responso incensus ira stolidus magistratus, quod in animo adversus christianum gregem conceperat odium et invidiam, in hunc unum exproferre, avidusque christiani sanguinis gustandi, huius exsorbere decrevit. Nam pueri « fanatismus », ut ipse appellat, acribus verbis incusans, ab se proripi iubet, et in carcerem reportari. Nec maledictis abstinet, sed ex aperto ore quidquid nequam corde continetur effundit, ac veluti demens, in sancta quaeque evomit.

Genitor interea, certior de filio factus, in oppidum convolat, magistratum adit, et pretio natī vitam redimere nititur. Solent homines pravi, vel maxime auri cupiditate duci. Nunc vero odium in sanctissimam religionem pecuniae avaritiam vicit. Nam vix e conspectu illius pater dicens fuerat, magistratus stipatores antestatur se puerum trucidaturum: « Solvat pater, — inquit, — necne pecuniam, ante ipsiusmet ora natum iugulare volo ». Et sicariis imperat ut quamprimum puerum immolent. Adolescens vero, mortem pro fidei defensione tandiu exoptatam laetissimo animo accipit, et parenti renuntiari iubet iniquum esse omnino Ecclesiae inimicis favere; sibi gloriosum pro

Christo Rege obire. Litteras deinde ad familiares mittit, et imprimis ad matrem, quam de morte proxime subeunda monet: « Ne mea, — inquit, — fortuna, te excruciet aut angat; sublime namque est pro Rege ac Deo nostro etiam vitae iacturam pati. Divinae te penitus committe voluntati. Ego non letum instans, non sicarios tremisco; ita maiores natu fratres ne pigeat minoris vestigia sectari. Filium materna benedictione solare tum ».

Eadem die quo capite dannatus fuerat, media nocte e carcere eductus, in coemeterium ubi transfigi debet rapitur. Illud intravit triumphans: praebat equitum caterva, medio in agmine is erat. Sicariorum ibi ductor vitam libertatemque postremo offert, modo « fanatismus » ab se abiicit: « Miles, — inquit puer, — Christi Regis sum; ducem meum crucifixum ad mortem usque non deseram ».

Sicarii tunc valentissimi, et ad necandos homines et cruciandos exercitatissimi, circumsistunt, et tantillum corpus sica atque pugione torquere cooperunt. Quum inter plagas nihil nisi: « Vivat Christus Rex noster! » clamaret, carnificum tunc ductor, illudens ei: « Quid, — ait, — nunc parenti nuntiatum iri iubes? » « I, — viriliter respondit, nec deiectus, — i, et me in caelis visurum ipsum renuntia ». Efferatus tam inusitata fortitudine tortor, ac veluti amentia tactus, iterumque pueri « fanatismus » detestatus, capit isctu eum conficit.

* * *

Iosephus Sánchez del Río, in oppido Sahuayo, provinciae Michoacanae, quarto kal. Apriles 1914 natus erat. Parentibus diligentissimis et indulgentibus usus est, quorum pietas et religio maxime pueri ad virtutem pronae indoli favit. Ii, prout ipse amabat litteras, et sacerdotium iam a pueri appetebat, omnibus doctrinis, quibus aetas puerilis impertiri debet, filium erudierunt.

Erat in illo, praeter docilitatem ingenii, summa animi fortitudo et constantia; nobilia quaeque et grandia semper cupiens, impiger, laboriosus, doloris patiens, sincerus, matris, praeterquam dici potest, observantissimus; seniorum cultus (quod raro in pueris accidit) prae ceteris aequalibus amator. Natura ad sinceram pietatem proclivior; qua ex re, iam a summa pueritia, nobilis inter aequales ferebatur clariusque splendebat, quam generosi discipuli.

Quum in vincula includeretur, victu diem integrum, devotione ductus, caruit; nec duci se in patibulum fert, quin fortium Pane (occulte, et prout tempora illa ferebant) reficiatur. Multa huius sunt praeclare gesta, sed haec maxime illustria: ardor pro fide bellandi eiusque nobilissimus exitus, illustre, nempe, martyrium.

Hunc enim, Ecclesiam, quum videret calamitate illa perfractam, desiderium magnum adiuvandi invaserat; neque id quibus modis assequeretur dubitat; sed armatus in campum exsultat. Si quis vero forte temere id factum esse dicat, vehementer errat; non enim inconsulta cupido aut puerile bellandi desiderium allicit aut impellit ad arma; sed Dei honor, quem omni scelere obtrectatum videt, et Ecclesiae favendae amor vehementer incitant. Hoc enim ab illius matre accepit. Quum vestes aliquando christianis copiis domi comparantur, impar suo ardori continendo et laetitiae, enixe rogat ut sutrices saltem machinas movere sibi liceat. — « Saltem hoc modo, — aiebat, — tanta causae favere potero ». Quin, accessit ad matrem aliquando et sic eam est alloquutus: — « Quantae molis opus Deus gessit, quum crucis supplicium pro nobis subiit, at quantae charitatis! — « Etiam, fili, — inquit mater, — nec illo maius excogitari quidquam potest ». Tum ipse, alte commotus: — « Beneficio adstringor. Nonne ergo pari ratione retribuendum est mihi? »

Quo significare volebat pugnandum sibi esse pro Rege ac Domino Iesu Christo; immo et fortiter pro ipso, etiam sanguinem si opus esset, effundendum.

Nec eum spes lefellt. Post nobile certamen pro Rege suavissimo, puerorum amantissimo, ipse puer triumphans in caelum migravit, manu gestans incliti palam martyrii.

Ysleta.

I. NAVARRO, S. I.

ROBERTO BELLARMINO ROMANAEC ECCLESIAE DOCTORE RENUNTIATO

Doctoris almi iam tua tempora
Corona cingit riteque debita,
Plaudente terrarum favore,
Ac Superum recinente coetu.

Verum tenes, luctator et impiger;
Errata damnas, falsaque respuis
Potenter, et scripto, nolentes
Digne adigis retinere iustum.

Nulli secundus, fortiter asseris
Quae sancta stabunt; quaeque tenendave,
Prosternis obstantes docendo,
Mente Deo ac animo refixis.

Quae scribis auges moribus angelum,
Vitamque divis persimilem trahis,
Mundo licet tempus gerendo,
Gentibus adiiciens stuporem.

Exempla praebeis iure stupendaque
Demissionis tam bene redditae,
Gradu praealto quo renides,
Principibus reliquisque summis.

Virtute multos exsuperas pares,
Romana cum Te purpura quaesit,
Quamquam reluctantem, at remissum
Pontificis volito supremo.

*Mirantur omnes sic Te humilem fore,
Cum cinctus adstans purpureo peplo,
In publicum prodis pudicus,
Vel quasi non fueris colendus.*

*Ast haeresi Tu malleus ignifer,
Erroribus pacem efferus abnegas,
Errantibus vero benignus,
Prodigium bonitatis exstas.*

*Tuum inde nomen vel mage claruit,
Et Sanctitas non enituit minus,
Splendore doctrinae patente,
Lucifer ut micat inter astra.*

*O Purpuratum gloria nobilis,
Ecclesiae tutamen et inclytum,
Domus paterna laus decusque,
Ut pharus in mare stas perenne.*

*Oh! sit datum vestigia proseguo
Tam digna, vivo lumine de tuo,
Quo tutum iter plane resignas,
Indubieque polo reducis.

Haec una spes solamen amabile,
Labentis horae tempus ad ultimum,
Vitaque demum iam peracta,
Consociabimur et per aevum.*

JOSEPHUS RINALDINI, S. I.

COLLOQUIA LATINA

Prima salutatio.¹

PUER, PATER, MATER, et ISABELLULA ancilla.

PUER. - Salvus sis, mi pater; salve, mea matricula; precor vobis felicem hunc diem.

PATER. - Mi fili, sospitet te, Deus.

MATER. - Et eveheat ad ingentes virtutes. Qui vales, mea dulcedo? Quomodo nocte hac quievisti?

¹ Ex colloquiis IOAN. LUDOVICI VIVES. - Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

PUER. - Recte valeo, et placide dormivi.
MAT. - Proprium hoc velit Deus tibi esse!

PUER. - Ad medium tamen noctem extitatus sum e dolore capitum

MAT. - Me perditam et miserrimam! Quid narras? Qua parte capitum?

PUER. - Ad occiput.

MAT. - Quamdiu?

PUER. - Vix octava parte horae; postea redormivi, nec sensi amplius.

MAT. - Respiravi; nam exanimaras me.

PUER. - Bene sit tibi, Isabellula; para mihi ientaculum.

ISAB. - Mavis chocolati an caffae poculum?

PUER. - Caffae cum lacte, et crustulis pluribus.

ISAB. - Esto, o gulosule!

PUER. - Ruscio, Ruscio, huc, huc, canicule festivissime! En, ut cauda adulatur; ut se in posteriores pedes erigit! Quomodo habes? Quomodo vales? Heus tu, Isabellula, affer et panis buceam unam aut alteram, quam ei demus: videbis lusus scitissimos. Non esuris? Iamne satis edisti hodie? Profecto plus est in cane isto intelligentiae, quam in nostro mulione crasso!

PAT. - Fili mi, lubet mihi tecum paulisper confabulari.

PUER. - Quid, mi pater? Nam nihil mihi accidere potest suavius, quam te audire.

PAT. - Hic tuus Roscio estne bellua an homo?

PUER. - Bellua, hercle.

PAT. - Quid tu habes, cur sis homo, non ille? Tu edis, bibis, dormis, ambulas, cursitas, lusitas: haec ille omnia.

PUER. - Atqui ego sum homo.

PAT. - Quomodo id cognoscis? Quid tu nunc habes plus, quam canis? Sed hoc interest, quod ille non potest homo fieri; tu potes, si vis.

PUER. - Obsecro, mi pater, effice id primo quoque tempore.

PAT. - Fiet, si eas quo eunt belluae et redeunt homines.

PUER. - Ibo, pater, multo libentissime; sed ubi est?

PAT. - In ludo litterario.

PUER. - Nulla est in me ad rem tantam mora.

PAT. - Nec in me.

MAT. - Isabellula, audin?² Compara huic pueri ientaculum alterum in cistella.

ISAB. - Ecquidnam?

MAT. - Frustum panis butyro illitum, et pro obsonio vel ficos aridas, aut uvas passas, sed insolatas; nam alterae illae viscosae inficiunt puerorum digitos et vestes; vel cerasa aliquot, vel pruna aurea et oblonga. Insere validum brachiolum cistulae, ne excidere possit.

ISAB. - Ne dubites: omnia diligentissime componam.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCII

ANDREAS AVENARIUS S. V. D. EMMANUEL
Jové C. M. F. s. d.

Cur nihil litterarum tam diu? Atqui ego adhuc exspecto respcionem illarum, quas anno proximo, a. d. xi kal. Sept. ad te dedi per urbem Romam, quibus te responsurum eadem via pollicitus es in Palaestra. Quod ex te tum quaevis vocabulum, hoc nunc magis indigeo, quod in hoc novo domicilio non percussione portae, ut alibi, sed tantum id genus horologiorum strepitu tinnituve ex somno turbor. Sed mihi etiam haec huius causa erat epistolae, quod te certiore faciendum esse putabam me ab iis, quibus id erat potestatis, restitutum esse patriae: iam abhinc duos menses, si quid per vehiculariam publicam ad me perferendum dabatur, inscribi oporteret: Tirschenreuth, Opf. Missionshaus St. Peter (Germany). Vale.

SAPIENTUM PERVESTIGATIONES
A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE
LATINE VULGATAE

NOTAE.

DE FLUXU HYDROGENII IN METALLIS.

In studiis praehabitis circa occlusionem hydrogenii in metallis hypothesim proposui praeter alias de dissolutione moleculari in athomos.

Quae nuper ab aliis, sed praesertim a Coehn et Specht, edita sunt, hypotheses confirmare videntur.

Nunc inquisitioni subieci utrum fieri posset hydrogenium transvehere in metallis oclusum, per actionem campi electrici.

Adhibebam generatim filos, quorum diametrum ad aliquot millimetri decimos, et quorum longitudo a 10 ad 40 centimetra pertingerent.

Quantitas hydrogenii per calefactionem imbibiti alia erat iuxta diversas circumstantias; generatim aequabat plura decena voluminis ipsius fili, a 40 usque ad 80 circiter.

Successus comprobavit, sub actione campi electrici hydrogenium intra massam metallicam fluere posse, et in quibusdam experimentis etiam quantitativos existus, — relationes scilicet inter quantitatem, mobilitatem, temperaturam et intensitatem electricam — obtinui.

Quod, ut appareat, demonstrare videtur hydrogenium oclusum, non tantum in athomos dissolutum inveniri, sed et ionizatum.

TITUS FRANZINI.

DE QUADAM SINGULARI METHEORA.

Die prima superioris mensis Iulii hora 23,34' temporis medii Europae centralis singularis quedam metheora visa est ex Specula Vaticana.

In regione Sud-Sud-Est, constellatio nem Sagittarii versus non longe a luna — 20 circiter gradus ad occidentem — apparuit primo columna lucis albae, quae statim in globum pariter album erumpebat, dimidi fere gradus amplitudinis, ex quo minor alius projectus, rubri coloris, et flamas linguiformes emittens, in eodem sensu processit, qui denuo dirumpi videbatur et residuum quemdam nucleus emittere, qui ad horizontem usque perveniebat.

Phaenomenon, trinos stadios complectens, absolvebatur in secundo temporis cum dimidio.

Ut appareat, corpus quod involucrum atmosphericum ingressum est, tribus stratis costare debuit, quorum primus consumptus est primo tempore, secundus minorem attigit temperaturam eo quod rubri coloris fuit, tertius autem utrum consumptus sit necne ignoramus.

Ex inquisitione per nuncium in ephemeridibus facta, multa habuimus responsa de hac metheora, sed tres tantum ad eamdem quam nos vidimus pertinebant, et ex istis unus tantum observator, ex insula Capri, retulit nobis quae satis fuerunt ad aliqualem loci designationem constituendam.

Videtur ergo phaenomenon incepisse ab altitudine, quae inter 110 et 120 chilometra statuere possumus, directionem traectoriae parum a verticali, Nord versus, declinasse, et supra regionem Campaniae, non longe a monte Vesuvio, locum habuisse.

JOSEPH GIANFRANCESCHI.

**DE ACTIONE BACTERIORUM LUMINESCENTIUM
IN SEMINUM GERMINATIONEM.**

Ex experimentis, quae ipse duxi super bacteria photogena, demonstrari potest eadem germinationem seminum promovere atque augere.

Immo semina germinantia coram bacteriis istis valde maiorem accrescendi vim ostendunt non solum in comparatione eorum quae in obscuro posita erant, sed et eorum quae in solis luce diffusa, vel sub substantiis luminescentibus fuerant exposita.

Videtur ergo deducendum esse, ex bacteriis photogenis radiationes emitte a radiationibus luminosis penitus distinctas; nam semina bacteriis obiecta multo magis creverunt quam quae solis aut alterius naturae luce fruerentur.

Quod si incrementum tantummodo radiationibus luminosis tribuendum esset, maior esse debuerat explicatio seminum per solis actionem, quod minime accidit.

JOSEPH ZIRPOLO.

NOTITIAE.

**DE MAGNETICIS PERTURBATIONIBUS EARUM
QUE INFLUXU IN RADIOTELEGRAPHIAM.**

Inquisitiones et mensurae de terrestri magnetismo, quae ipse cum aliquot ministris regiae navis *Città di Milano*, tempore expeditionis arcticae anni 1928 collegimus, magni videntur momenti tum in seipsis, tum relate ad propagationem undarum electricarum. Nam tempus erat, in quo solis maculae maximum intensitatis pertigebant.

Porro ex eorum observationibus liquet quod, quoties perturbationes experientur in propagatione breviorum undarum, toties, sive in componenti orizontali, sive in verticali magnetismi terrestris, subiti et ampli saltus aderant, quos fluctuationes periodicae, quinque circiter momentis, comitabantur.

Tempore magneticae tempestatis, die septima et octava mensis Iulii, communicationes radio cum «tentorio rubro» interruptae sunt iam aliquot horis antequam

instrumenta magnetica perturbationem accusarent; inita vero perturbatione, impossibiles evaserunt etiam communicationes cum statione IDO, Romae.

Hinc late patet quanti momenti esse possunt explorations polares quae paratur proximo anno, etiam circa istas quæstiones.

TENANI.

DE VESUVIO PRIMITUS INSULA MARINA.

Dr. Ieremias d'Erasmo examen institut de multiplice materie, quae ex puteis terebratis in Campania educta est, ut ex distributione in stratis eructivis et sedimentariis historiam regionis neapolitanae, durante quaternaria aetate, restituere posset.

Equidem quae ex inquisitione putei in Maragliano oppido anno 1894 prius, et postea anno 1902 in Maddaloni ipse ego concluseram, nunc plane patescant: adesse nempe stratus marinos quaternarios, qui quasi annulo circumdant montes Somma et Vesuvium.

Sic hypothesis prius prolata a Breislak, Guiscardi, Johnston-Lavis de primitiva forma insulari Vesuvii nunc confirmatur, tum per deductiones iam a me propositas, tum per hodierna a d'Erasmo examina instituta.

DE ANGELIS D'OSSAT.

**DE DEFLECTIONE LUCIS
IN PROXIMITATE SOLIS.**

In sessione XVIII Borrussicae Academiae Scientiarum, Einstein retulit quae Erwin Freundlich deduxit ex observationibus eclipsis solaris die 9 mensis Maii 1929 ab expeditione speculae Postdamicae factis.

Confirmatum est adesse radiorum reflectionem, sed mensura eiusdem pertin-

git ad 2°,2, loco 1°,75 ut ex doctrina relativitas datur.

Valor iste illi respondet, qui in praecedenti expeditione americana, post introductam correctionem, habitus est; immo et cum alio deducto ex expeditione anglica anno 1919.

Videtur ergo aliquid corrigendum in tractatione problematis. Deflectio enim lucis in campo gravitatis datur tum in doctrina Newtoniana tum in Einsteiniana, sed neutra ad hunc valorem attingit.

GIANFRANCESCHI.

DE NOVA APTATIQNE TRANSFORMATORUM.

Iam ahinc aliquot annos nonnulli fabrificatores transformatorum currentis alternae triphasias novam partium dispositionem induxerunt, quae permittit transformatores ipsos, iam plene paratos, per ferreos currus vehi, quum tamen partes minime scindantur. In hac nova dispositione instrumentum quinque sustentatur columnis, quorum tres internae ad spirales portandas sunt, ceterae ad fluxum ducendum, quod prius per iugos horizontales fiebat. Hoc artificio dimensiones totius tales sunt, quae facile permittant in ferreis curribus bene aptari.

Quidam auctores doctrinam huius novae dispositionis statuere aggressi sunt, sed nondum probatione firma. Nuper ipsi in problemate solvendo institimus, apto constructo modulo. Studii nostri fructus suo tempore patesciamus.

LOMBARDI.

NOTITIUNCULAE GEOLOGICAE.

1. Mons vulcanus Aniakchak in Alaska meridionali nunc primum inspectus est a P. Bernard R. Hubbard S. I., missionario, qui per aeroplanum illum superavit et

observationes et photographicas imagines perutiles retulit.

2. Iuxta M. N. Rogers, efformationes petrolierae fieri potuerunt per emanationem ionizantem mineralium radiactivorum in metanum agentem.

3. In Alpis Dolomiticiis (*Gruppo di Sella*), a Bruno Castiglioni nuper reperta est efformatio polygonalis tipi arctici — *stone polygons* — nunquam prius cognita in hisce regionibus.

Novimus enim tantum aliqua polygonalia luta in Alpis Siysis, a Richards et Elton recognita.

4. Maximae marium profunditates recentius a Cap. H. Bencker notatae hae sunt: in Oceano Atlantico apud Portorico 8526 m.; apud Domache 7370; ad Antillas 6425; in Oceano Arctico apud insulam Wrangel 5440; in Oceano Indiano ad Javam 7000, in Oceano Pacifico ad Philippinas insulas 9788, apud insulas Bonin 9941; in Mediterraneo ad mare Ionium 4404.

5. Mineralium nova detectio.

Metalla varia et sulphur ad novas Hybridas;

Piris aurifera ad Ossola; Cromites apud Sudbury in Ontario;

Platinus in insula Chiloe (Cile), cuius exemplaria inter ditissima numeranda;

Lignites ad Semenovsk, Alexandriisk in Russia, et ad Krivoroi in Ucraina;

Pechblenda in Alberta (St. Foed.); Petrolea et bitumina ad Atacama in Cile;

Ilmenites ad Pulmodai in Ceylon; Potassia ad Salicut in Catalaunia.

DE ANGELIS D' OSSAT.

Sociis monitum.

Anni exitu imminentia, Socios rogamus, qui nondum annuae subnotationis premium solverunt, velint quamprimum rationes suas nobiscum exaequare.

AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive praecepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.¹

§ 423. — Lumbricus latus epidemicus est in Hollandia, nimirum scilicet abundante lacticiniis, cuiusque incolae lacte et caseo solo saginantur.

§ 424. — Symptoma lumbrici lati sunt: dolor circa iecinoris regionem ieuno tempore; ingens sputatio; et si dolor nimis excruciat, aphonia supervenit. Tormina circa ventriculum ferociunt. Infirmi pallidi sunt et imbecilles, ad laborem pigri, quandoque fastidiunt cibos, quandoque inordinate appetunt; vermiculos figura cucurbitina excernunt.

§ 425. — Medicamenta ex absynthio externe et interne adhibita vermbus praeprimis inimica sunt.

§ 426. — Si in apparatu crudo mesenterico quis purgationem minus ferre possit, ob nimium fractas ventriculi vires, tunc semel, aut etiam bis dedit BAGLIVUS clyisma emolliens, item quolibet mane iusculum cum 12 sem. citri contus. et eichor. silvestri, addito quodam oleosaccharo.

§ 427. — Inter signa, quae apparatum humorum in primis viis designant, sequentia sunt patienti observatione nostra et matura meditatione acquisita: os valde amarum cum quadam nausea horis matutinis; lingua viscida, glutinosa, ingratis saporis cum oris foetore; dentes quoque luridi et conspurcati; stercora multum foetida; itemque flatus saepius emissi. Caput aliquando nutat et gravitat, et si patiens supra lectum perpendiculariter erigitur, caput hinc inde nutando gravitat, aliquando caput fere continuo dolet cum

gravitate et pulsatione circa tempora; et dolor exacerbatur post prandium, et aliquando post coenam. Aures murmurant cum sibilo. Febres post prandium et post coenam augescunt, et typum duplicitis tertiae continuae servant. Calorem in volis manuum aut pedum, et in hypochondriis patiuntur. Vultus palitet; alvus sicca est. Inappetentia moderata. Sed, quod magis observatione dignum est, qui febricitant ex infarctu mesenterii, maiora mala in capite experientur, quam in mesenterio, in quo morbi sedes est; medicisque decipiuntur, cephalica, emulsiones, frigidasque potionis, aut copiosos aquarum haustus, ut hodie apud nos invalidit abusus, propinando; quibus remediis crescit magis, quam imminuetur morbus, quia crescit causa ob indigestionem dictorum inutilium remediorum.

§ 428. — Pluvioso caelo efferi in pulmones catarrhi; cum vetus est in pulmone infirmitas, in vicinas partes facile vitium irrexit. Nullis fere pulmonicis (quod pluribus medicis placuit) laudabilis sanguis detrahitur. Sed hoc diorismo utendum: si intemperie calidam pulmo concepit, illud verum non est; si putredo magna sit, contra.

§ 429. — In malignis temporum constitutionibus, praesertim cum febres ateriores vexant, et aegri uruntur, saepissime detrahitur laudabilis sanguis, magno aegrotum et virium detimento; serum nullum aut paucum, floridus sanguis; serum calor absunit, truces oculi, iactationes, cardiotomi. An venae sectio tunc utilis? Nequamquam, aut parce detrahatur, imo alexipharmacis et cardiaca dentur; alvus blande et saepe eluenda, nam dejectionibus instari pultis croceae morbus solvetur. Hoc HIPPOCRATIS et GALENI consilium est. Vomitiones sistere, et sanguinem plenum detrahere nocet.

(Ad proximum numerum).

I. FAM.

¹ Cfr. fasc. sup. mens. Junii.

ANNALES

Cypriaci motus.

In insula Cypro seditio orta est in Anglicum dominium; quae brevi compressa est, at non sine sanguinis effusione. Dictant Anglicum gubernium novis legibus atque institutis, quae hodiernae constitutionis limites magis circumscripcta sint, Cypriaeas res ordinare velle; et Cypri cives paratos esse ad iudicium Societatis Nationum interponendum.

**

Iaponiam inter et Sinas discrimen.

Discrimen inter Iaponiam et Sinas, quod ad arma usque descendit, quodque ad dirimentum convocatum quoque est Societatis Nationum concilium, prout in superiore eventuum hac recensione nostra adnotavimus, non minori quidem vi perdurat adhuc. Iaponi profitentur sese agmina sua in Sinas missa retrahere non posse, priusquam Sinenses secum sollemniter transegerint de nonnullis principiis, quae futurarum rerum fundamenta fiant; pro huiusmodi paetionibus Societatis Nationibus fidem invocant; Sinensium enim promissiones fluxae ac dilatoriae habendae sunt, quemadmodum rationes plures prius a se oblatae ad discrimen componendum et ab Sinensibus ad finem reiectae, satis luculenter demonstrant. Statuantur itaque firme mutuae integratatis et commerciorum libertatis condiciones; statuatur certa per Manchouriam omnem Iaponiensium ci-vium pacifcae actionis tutela; itemque observantia vindicetur iurum e contractibus manantium de Manchouria inter duas nationes iam panctis. Sinenses ex adverso repetunt Iaponiensium copiarum receptum, atque post ipsum permanentis Consilii conciliationis et arbitratus constitutionem.

VARIA

Iulius II P. M. Mirandulam pra-sens aggreditur.¹

Iulius suos duces nihil omnino amanter, nihil ex se agere quum videret, omnes autem moras, omnia impedimenta ei bello interponere illos non ambigue cognosceret, unum Capellum eiusque fidem atque animum summis laudibus prosequens, statuit

¹ EX PETRI BEMBI Historia Veneta.

Societatis Nationum Concilium, quod die xvi mens. huius Novemboris rursus ad rem congregabitur, valebitne dissensio-nem componere? Videbimus; interim vero tormenta bellica tonant, atque ad rerum statum in peiorem magis partem verten-dum concurrunt praedatorum Sinensium manus omnia vastantes, furantes, caudemque ubique patrantes.

**

Administratorum itinera et colloquia.

Hisce diebus praecipui civitatum administri invicem alter alterum invisit, ad oeconomics res, non quidem per universum orbem florentes, componendas. Pe-culiari nota dignum est iter, quod Laval, administratorum Gallici consilii praefectus, in superiore Americam init, ubi cum Hoover, Civitatum Foederatarum praeside, colloquia habuit, ex quibus optimam spem desumendam esse fatentur.

Faxint Superi; et bonum auspicium siet adhaesio. quam omnes fere nationes praestiterunt Italicae rogationi apud Nationum societatem, prout diximus, propositae de mora circa bellicorum apparatus constructionem ad annum saltem imponenda.

POPULCOLA.

se ad exercitum conferre, ut Mirandulam oppidum munitissimum praesens oppugnaret: quo capto, facilius posse se Ferrariam obsidere, suaequa ditionis eam facere confidebat. Quamvis hiems durissima ingrueret, lutosissimaeque essent viae, et nix largiter cecidisset, ad vicina tamen Mirandulae aedicia et agricolaram casas lectica vectus se contulit; quumque suis ducibus parum confideret, belli munera per sese perque Paulum legatum plerumque administrabat. Iulio itaque imperante, ut tormenta cum a suis tum a Paulo legato ad muros oppidi deiiciendos collocarentur; quod quidem magna cum difficultate fieri erat necesse, cum praeterea quod oppidani e propugnaculis et turri maxime communita, suis item tormentis appropinquare muro neminem permettebant, tum quod nix duos fere pedes in altitudinem creverat; legatus, virtute milium difficultatibus superatis, celeritate usus verberare muros senis tormentis coepit, quum Iuliani neque post triduum unam in eos pilam misissent. Muris igitur oppidi ita deiectis, ut qui in eo erant, equites septuaginta, milites trecenti, tueri oppidum sese posse non confiderent, praesertim quum omnis fossae aqua frigore conglaciasset, mulier vidua Ioannis Iacobi Triultii filia, quae Ludovici Pici uxor fuerat, et oppido praeerat, reliquie praefecti, ad diem duodecimum Kalend. Februarii nullis conditionibus interpositis se atque oppidum Iulio dediderunt. Iulius, quod oppidi porta ruinis clausa deiectusque pons fuerat, per muralem scalam in oppidum est receptus; is, multcae nomine, oppidanis ut auri libras sexaginta solvere imperavit.

**

Arbores grandes et pusilla.

Inter proceras et grandes et adspectu pulchras aliquot arbores, una enata fuerat humili et contorta, deformisque quibusdam

quasi gibbis. Ergo hanc illae despiceret atque deridere. Mox quum ad aedificium quoddam materia quaereretur, caesis aliis omnibus, haec pusilla et deformis arbustula, sola relicta fuit. Tum illa quidem statura atque facie sua admodum gaudere, quae saepe dolori inter aliarum contemptum ipsi fuerat: intelligebat enim se beneficio huius retinere incolumentem suam.

Monet fabula, ne nimis iniquo animo feramus, deesse nobis bona illa corporis atque fortunae, quorum, si quis omnia colligat, saepius nocuisse affluentiam quam profuisse comperiet.

Locosa.

Tuccius amico:

— Visne a me emere pulchrum hunc librum?

— Quanti facis?

— Libellas duas.

— Ac si non praesentibus integris nummis acquisiverim?...

— Libellas quattuor, si vero pecuniae dimidium statim numeraveris.

Aenigmata.

I.

(Aenigma catenatum, quod dicunt).

Audis si *primum*, mandat submittere terram;
Mox e conspectu cedas tibi *praecipit alter*.
Tertius in Baal cecidit bis semper, et ampla
En Asiae *praebet totus* tibi protinus ora.

II.

Exeo in *us*: capiti defendo frigus et aestum.
O mihi dat finem? Non mora; fio cibus.

Aenigmata in superiore numero proposita his respondent: 1) *Cassis*; 2) *A-edon*.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS



DE ROBERTI SCOTTI
NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO

[1]

Post diuturnum sane silentium, silentibus etiam litteris amicorum, rem aggredior scribendam non novam quidem lectoribus vel inauditam, sed in qua et fautores Latinitatis universi, quam aptus hic sermo sit ad exprimendas res etiam recentissimas, ostendam.

Q. MAR 40

Nam scripturus sum de Roberti Scotti Angli, regiae classis navarchi, ad antarcticum polum accessu, vel potius, conabor Latinis verbis persequi, quae suis commentariis et ipse Scottus et socii eius de eo itinere in lucem ediderunt. Rem intellego me suspicere viribus superiorem meis, siquidem multis locis me peritiores expeditius atque elegantius interpretaturi sint, quae nulla ego usquam tractata latine viderim; sed, quid bonis lectoribus parum apte reddi visum erit et meliora ipsi viderint, ut in publicum proferant, ut libere quid sentiant in *Alma Roma* aperiant, hortor rogoque. Nam si id fecerint, hoc effecerint, ut nunquam diuturna opus sit deliberatione, a quanam re expectatus in *Alma Roma* sermo oriri posse videatur.

Quodsi quaeris, qui factum sit, ut Scotti expeditionem scribendam censerem, res illa ante duos annos spectantibus nobis Driburgi, ubi tum vivebamus, agitata est, tantaque ex illis lucigenis imaginibus viri et sociorum eius consequuta est admiratio, ut laboriosum iter diligentius cognoscendum rati, duo illa emeremus volumina, quae *Kapitän Scott, Letzte Fahrt* inscribuntur, veneuntque apud Fridericum Arnoldum Brockhaus,¹ bibliopolam

Lipsiensem. Ea dum avide perlego: «En, — inquam, — haec res digna est, quae *Almae Roma* sociis offeratur litteris consignata latinis. Sed ut fit, eam habuit per cetera officia celere consilium in perficiendo tarditatem, ut, nisi maturavero, cum tot aliis consiliis interaresceret.

Itaque, ut aliquando ad rem veniamus, tria sunt pvestigationis antarcticae tempora. Primo tempore, quod continetur annis 1772 et 1775, Iacobus Coquus,¹ hanc terram circumnavigavit ad eas latitudines, quas ante nemo mortalis tetigerat: nam secto sexies polari circulo, ad unum et septuagesimum gradum et decimum punctum pervenit meridianae latitudinis. Cogitum est, nullam esse, quam maiores nostri sitam censuerant in mitiore meridiano caelo terram continentem australem, et, si qua terra intra polarem circumlum esset, omnem glacie sepeliri nivibusque.

id Altera antarctidis explorandae aetas, quam multi «classicam» vocant, continetur annis 1838 et 1843.

(Ad proximum numerum).

A. HABERL.

¹ Is magna qua est humanitate copiam fecit haec ex illis duobus libris pro lectoribus *Almae Roma* expromendi.

James Cook, unus ex maximis terrae exploratoribus, natus est mense Novembri anni 1728 Martonii, qui locus est pagi Yorkshirensis, pauperis agricultae filius. Quum in rebus maritimis et ceteris scientiae generibus diligenter esset versatus, anno 1755 ad Britannorum se classem contulit. Tribus mundanis itineribus praecipue Oceaniam perlustravit. Postremo, anno 1778, emissus ut viam quaereret navalem sub septentrionibus, inventa in Polynesia insula Hawaï, in Beringium fretum contendit. Sed glaciatis molibus coactus redire, quum iterum appulisset ad Hawaïam, ab eferis illis insulanis est interfactus xiii kal. Mart. anni 1779.